A.

DE CONSTITUTIONE METAPHYSICÆ.

Metaphyſicam tradituro in ejus conſtitutione attendenda ſunt duo:

- Nomen, cujus
  - *Etymologia* eſt, quod dicatur quaſi μετὰ τὰ φυσικὰ, quod *poſt Phyſicam ſive ſcientiam rerum naturalium demum inventa ſit*. Alii putant, τὸ μετὰ exponi quoque poſſe per *ſuprà*, propterea, quòd *ea, quæ in hâc ſcientiâ tractantur, ſuperiora ſint rebus naturalibus*.
  - *Significatio*: eſt diſciplina quædam contemplatrix, diſtincta à Phyſicâ & ſcientiis Mathematicis, tanquam univerſalis à particularibus, *6. Met. Cap. 1.*
  - *Synonymia* & tituli, quibus ab Ariſtotele inſignitur & ſunt, quod vocatur
    - Prima Philoſophia, *VI metaph. cap. I. I. Phyſic. t. 82. & II. Phyſic. t. 26.*
    - Philoſophia abſolutè, *IV. metaph. cap. 2. & 3.*
    - ἡ τοῦ φιλοσόφου ἐπιστήμη, *IV. Metaph. c. 3. in init.*
    - Sapientia, *I. Metaph. cap. 2.*
    - Theologia, *VI. Metaph. cap. 1.*
    - Scientiarum maximè princeps, cui cæteras ſcientias tanquam ancillas non contradicere decet, *I. Metaph. cap. 2. & lib. III. cap. 2.*
    - Omnium domina, *I. poſter.*
    - Scientia honoratiſſima, *III. Metaph. cap. 2.*
- Res ipſa, ubi proponenda
  - *Definitio* quæ cōſtat
    - *Genere*, quod eſt *ſcientia contemplatrix*.
    - *Differentia* petita ab objecto, quod eſt *Ens, quoad prædicata re & ratione* à materia ſenſibili abſtracta.
  - *Diviſio* in partes, quæ ſunt
    - *Univerſalis*, quæ agit de Ente in ſua latitudine & quatenus Ens eſt.
    - *Particularis*, quæ deſcendit ad rationes ſpeciales Entis, ut ſubſtantiæ & accidentium.

Gassendus putat Aristotelem libb. suis Metaphysicis nomen non indidisse, sed appellasse primam Philosophiam, uti saepe citat, eos vero libros nunc non extare. At compilatores et coordinatores istorum librorum libris Physicis coordinatis, quos in certum ordinem librorum referre non poterant in unum conjecisse, quod etiam tractare affinia terminorum abstractorum viderentur, eosque tanquam post physicam coordinata τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ appellasse.

Metaphysica ~~est~~ s. Prima Philosophia est Systema Theorematum, s. Theorema a. b. propos. vera etiamsi nihil existeret; s. tantum hypothetica, a. in hypotheticas resolubilis. Ita definiunt philosophiam primam Honoratus Fabri, qui scientiam rationum universalium edidit. Mosnerius. Et Th. Hobbes qui suum opus de corpore in duas partes in philosophiam primam, quae abstrahit ab existentia; & physicam quae causas rerum in mundo stantium divisit. Metaphysica est merae rationis opus et fluit ex definitionibus; physicae fundamentum ponit sensus.

B. TAB. II.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 32;Leibn. Marg. 32, [15] - 3